

(144.)

STICRKA 29
SCHOLOVE SAVNOVICE 212

1882
JANUARY



PRÆSIDES SCHOLÆ SVIDNICENSIS

Aug. Conf.
LECTURIS

S. P.

Corporis animique vigorem, egregium illud coeli munus, uti mirabili & inæquali, iusta tamen, varietate mortalibus dispertit summus omnium bonorum arbiter & dispensator Deus: Ita defectionem ejusdem alios citius, tardius alios sentire usu exploratum satis habemus atque compertum. Sunt, quibus integra durat ignea mentis vis firmusque corporis habitus, ingruente etiam senio, qui statum tuentur suum, atque in sustinendis negotiis tolerandisque laboribus ac molestiis immoti invictique perstant; sunt contra, qui aut media in ætate, quam solam quidem rebus apte riteque gerendis idoneam censet Vir legationibus, quas administravit, illustri JOANNES TEMPLIUS, aut primam adepti senectutem multum se defecisse conqueruntur. Habent illi, quod raram hanc virium suarum integritatem cœlo imputent suamque sibi gratulentur felicitatem; his vero, ut in tempore præparent se receptui, vacent molestia, cura, negotio, & desideratissimum capiant otii portum, opus est. Quod si quisquam alius, homines certe de schola, quorum vires tot laborum & curarum molestiis, quas devorarunt, fractæ sunt ac debilitatæ, senium inprimis ejusque individuus comes, morositas laborisque tædium ubi accedit, circumcidere omnem, quoad ejus commode fieri possit, actionem negotiosam, in otium se collocare, et, quod reliquum est vitæ, Deo, sibi suisque vivere necesse habent. Intellexerunt id probe multi ordinis hujus viri, qui marcescentis in se indies qua corpus, qua animum, virtutis sensu tacti, ne sibi, ne aliis essent oneri, sponte sua docendi munere se abdicarunt. Non est, quod aliunde repetamus exempla, quæ domi habemus. Quam enim vitam ab opera scholastica Elbingæ, Thorunii, Regiomontii & in florentissima urbe nostra, intra cujus mœnia bonæ tum florebant literæ, juventuti formandæ adhibita immunem voto & cogitatione præsumserat præstantissimus Vir M. CHRISTOPHORUS ORTLOBIUS, ingressurus avide, ni præcipiti fato extinctus fuisset, inierunt postmodum M. JOANNES EGRANUS, ejus in officio Rectoris Successor, & M. PETRUS BECKERUS, Con-Rector. Horum vestigia insilire quoque placuit Viro amplissimo atque eruditissimo GEORGIO THEOPHILO ASMANNO, Scholæ nostræ, quam divino DIVI JOSEPHI munere in suburbio habemus, & de qua per annos viginti & octo optime est meritis, hætenus Rectori præclarissimo, qui senectæ incommoda secum perpendens suæque sibi conscius debilitatis, ut honore, quo præclare functus est, abire sibi liceat, officiose nos rogavit. Cujus desiderii, utpote honestis & æquis, non annuimus solum, sed etiam, quem ipsi surrogaremus Successorem, communicavimus inter nos consilia, habitoque delectu, quos ille deposuit fasces, Viro præclarissimo doctissimoque JOANNI FRIDRICO THOMÆ, L. L. A. A. Mag. per XVII. annorum spatium ludi hujus literarii Pro-Rectori perindustrio tradidimus; hujus vero locum ornare jussimus Virum & doctrinæ variæ & eximiae in erudiendis juvenibus facilitatis fama percelebrem GODFRIDUM LANGHANSIUM, Scholæ Landeshutanæ per aliquot lustra Con-Rectorem meritissimum. Novam hanc provinciam, ad quam uterque admissus est, IV. ante Idus Majas Hora IX. matutina oratione publica rituque solenni ut capebant, ediximus, idque ut Scholæ nostræ faustum auspicatumque, juventuti fructuosum, patriæ honorificum sit, quantis possumus precibus, à Deo Optimo Maximo contendimus. Actus autem noster quo fiat solennior, PATRONOS ac FAUTORES, qui bene cupiunt literarum honori Scholæque commodis, ut præsentia sua honorifica eundem cohonestare velint, officiose & perhumaniter rogamus. P.P.Dom. Rogate. A. MDCCXXXVIII.



Mf. 41635

P r a e s i d e s S c h o l a e

Praesides Scholae Swidnicensis Aug. Conf. Lecturis s.p.
[s.l., s.n., 1738] in plano

Wrocław Bu 368995

Uwagi: Zaproszenie na uroczystość objęcia stanowiska rektora gimnazjum
przez Johanna Friedricha Thomasa, a stanowiska prorektora przez
Gottfrieda Langhansa /A. MCCXXXVIII/

MIKROFILM 35 mm

negatyw . 1 t. / zwol

pozytyw ——— zwol